



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Disquisitionvm Magicarvm Libri Sex

Delrío, Martín Antonio

Mogvntiae, 1624

Sectio III.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-62472](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-62472)

commeator, virorumque Deorum malam gratiam, & semper obuias species mortuorum, quicquid umbrarum est vnam, quicquid Lemurum, quicquid Manium, quicquid Laruarum oculis tuis ingerat: omnia noctium occurfacula omnia bustorum formidamina, omnia sepulchrorum terriculamenta.] Arnob. libro secundo testatur solitos adiurare certa nomina, ne animæ hæc in terris detineantur vagantes circa sua corpora. Testantur de visionibus animarum Dion. in Caracall. & in Tito, Plutarch. in Cimone, Dione, Bruto, Alcibiade. Addit Platonicos (fidem excipio) secutus Diuus Augustinus i, hosce malos vocari Lemureis, Seruius Honoratus scribit eos Manes vocari, quamdiu in alia corpora nondum migrarunt. Idem Seruius & Sabinus, ab anima separant umbram & simulachrum. putant enim (falso) hominem constare umbra, corpore, & anima, animam cælum petere, corpus in terram desinere, umbram siue simulachrum descendere ad inferos: umbram volunt esse non verum corpus, sed speciem quamdam corporeâ, quæ nequeat tangi, instar venti. Conueniunt tamen cum poetis, istud, quicquid vel ad cælos ascendat, vel ad inferos descendat, interdum viuus apparere: vt alio loco docui a, & hoc putabant malo magorum carmine euocari b. Soli ergo ex Gentilibus Epicuri de grege porci (sic se vnus appellat eorum) bene curata cure, mente neglecta, negabant animas superesse vel apparere: ceteri id innumeris exemplis astruebant, cunctorum malorum hominum, Plato c. de Castore & Polluce, Valerius, de Miltiade, Pansanias, de quodam in Lypara, Aristoteles: de Achille, Philostratus de Romulo, Auctor de Vir. illustribus, de Caligula, Suetonius, de Athenensî philosopho, Plinius Iunior:

A de Pausaniæ infesta puella, Plutarchus: de Seuero Imperatore, Xiphilinus, de alijs Apuleius libro octauo, & in Apolog. Sueton. in Nerone, Quintilianus declamat. 12. Horatius Epod. 5. Valer. Flaccus libro primo. & alij, quos longum referre, & fateor hæc ad demonum illusiones & præstigias referri posse: sed tamen, quæ ex Christianis subiungam, conuincunt: etiam fatendum, Deo permittente, veras animas esse potuisse, non vanum duntaxat εὑρημα, seu (vt glossographi vocant) Lermum: nisi, Larua legendum.

SECTIO II.



Robatur nostra Conclusio secundo loco contra Philosophos illos, nimis carnales (nam vt optime Diuus Augustinus d, in nomine carnati tota regula intelligendi, est consuetudo cernendi) qui nihil credunt nisi quod vident, & ideo reuera nihil credunt: contra hos, inquam, probatur nostra sententia ratione vnica, quia cum Deus sit omnipotens, potest quicquid non implicat contradictionem: sed hoc quod asserimus adeo nullam implicat contradictionem, vt etiam sit naturæ consentaneum. Poterit ergo Deus, qui creauit animas, facere vt eadem separata iterum appareant. Immo, si Deus non obstat, poterit, naturali lua vi, ipsa anima. quia nihil hæctenus aduersarij proferre potuerunt, quo probarent animarum id naturæ repugnare. Quid enim? cur natura animæ id non patitur? An, quia nullo in loco proprie sint animæ? scio sic visum nonnullis e, qui arbitrati, animæ separata, natura sua, nullum locum competere: quod quia de loco dixere, qui sumitur pro superficie corporis continentis, &

d Ser. 147. de tēpore

e Durand. in 1. d. 37. q. 1. & videntur hoc velle Aristoteles. 1. de cælo D. Greg. Nazianz. 1. or. de Theol. & Aug. li. 85. qq. 20. & li. 12. super Gen. ad lib.

proprius est rerum corporearum: huc non pertinet; cum enim sermo est de rebus spiritualibus & indiuisibilibus, locus sumendus est vniuersim pro spacio, quæ acceptio rebus corporeis cum rebus incorporeis, quæ alium locum: habere nequeunt, est communis: in huiusmodi ergo loco animas separatas esse de facto, negari nequit. fides hoc docet, quæ docet bonorum animas frui Deo, & esse non in terra, sed in cælo: damnatorum contra non esse in cælo, sed infra terram, & ibi, vt in certo loco, torqueri. ratio docet, quæ docet, impossibile esse, quod aliquid existat, & non in certo spacio: videlicet in toto & infinito spacio (sic solus Deus existit) aut in parte spacij, ita vt non in alia, & sic omnes creaturæ existunt. Est autem in hoc loco definitio anima, eo quod eius substantia in eum potius locum, quam in alium fuit translata: vel per vim propriam & naturalem, quia seipsam ad eum locum transtulit, etiamsi in eo loco non operetur actu, sufficit enim quod possit: vel per vim alterius extrinsecam potentiorum eo delata sit, vt sit ab angelo bono vel malo inuita aliquo deferretur, vel etiam detineretur coacta, sicut mali in inferno *f.* Et sic explicari possunt varix Doctor. locutiones: vt D. Thomæ, qui vult esse in loco per applicationem virtutis: vt Scoti, qui per substantiæ præsentiam: vt Iul. Scaligeri, qui per designationem, omnium obscurissime. Sic autem futura in loco est anima & occupabit locum diuisibilem, licet sit ipsa indiuisibilis: & poterit occupare maiorem vel minorem locum quod peculiare est indiuisibilibus spiritualibus, & denegatum indiuisibilibus quantitatiuis: si quia re ipsa sint talia à corpore quanto aliter quam per intellectum separata, quod

vide Me
in. 1. p. 9.
2. art. 1.

A vix arbitror intra maximum sphaera, quam simul actiuitate sua potest occupare, secundum proportionem maioris vel minoris perfectionis essentialis, qua prædita erit: & ideo poterit sibi formare corpus, quod assumat, & in quo appareat saltem tantæ quantitatis, quanta est sphaera actiuitatis eius: vel etiam (quod magis mirandum) posset formare diuersa ac pura corpora minima, & hæc omnia assumere, & in his omnibus apparere, dummodo cuncta illa in sphaera actiuitatis eius continerentur: sicut de Angelis posse esse in pluribus nõ ad æquatis suæ perfectioni, communiter receptum est *g.* Possunt ergo esse, & sunt de facto in loco adæquato. quid ergo obstat?

An quod ex vno loco in alium sese nequeant mouere? veruntamen hoc esse falsum docent Theologi *h.* Possent animam separatam se mouere ex vno loco in alium probatur. quoniam humanus animus vi sua subsistit, & res absentes atque distantes cognoscit, estque inter illum & cælestes mentes quædam naturalis societas atque coniunctio, vnde fit vt conscius huius affinitatis, propius ad illas accedere, & earum frui suauis consortio concupiscat. **D** quid autem illo imperfectius, si frustra concupiscit? frustra vero concupisceret, si se illis motu locali nequiret aggregare, & vi sua in altum ascendere non posset. Præterea nonne anima corpori, quod animat, vim sese mouendi largitur? cur non & separata seipsam valeat mouere: cum & in loco sit, & ista vi vehementer indigeat, ne incassum appetendo aliquid miserrime torqueatur. Cur ergo, aliquis obiciat, ad corpus suum anima regredi, vel patrios lateis inuisere, cū lubet, non potest? obicit hoc olim Platoni non latis gratus

g D. Tho
1. p. 9. q. 1.
vide Va
de Ang. q.
1. punct.
3. & opo
me loqui
rem Mo.
supi. & a
1.
h Scot. in
4. d. 49. q.
4. Domi
Sor. ibid.
d. 45. q. 1.
2. 3.

Arist. 1.
de anima
text. 41.

discipulus; cui respondeo, nudatam semel animam corporis integumento, illud pro arbitrio rursus induere non posse, neque huc illuc diuagari licere: quia vel inuita retinetur in sui receptaculi dirissimarum cruciabilitatum erraticulo: vel liberè obedit supremo totius vniuersitatis Dictatori, à quo in hanc coloniam deducta fuit. Ad corpus autem non regreditur, quoniam ingressus animæ ad corporis sui informationem vitamque, à naturalibus materiæ, quas vnio hæc arctissima subsequitur, præparationibus dependet. Neque hoc ergo obstat.

Alij igitur dicunt has apparitiones possibiles non esse: quia cum spiritus corporis sint expertes, cerni corporeis oculis, vel humanis auribus exaudiri, vel vllò à nobis sensu corporeo percipi non possunt. Nam quod Lucretius de tactu cecinit.

*Tangere vel tangi, nisi corpus
nulla potest res;*

In cæteris quoque sensibus locum habere. Nihil enim externis sensibus percipit, nisi quod corporatum: nihil ad internum sensum, nisi per externos se penetrare: nihil sciri aut intelligi, quod vtroque prius sensu perceptum non fuerit. Quare nec intelligi hæc visa, quæ nemo externo sensu percepit, nec sensu vllò percipi potuisse, quæ spiritalia sunt. Fortis hic nodus & difficilis fateor, cui perumpendo fortis quarendus est cuneus. Futilis ille & ridiculus, quem suggerit Cardanus, in libro de subtilitate parum subtiliter; spiritus denatorum atque ipsos demones naturaliter ab homine visu, auditu, odore dignosci: oculatio Lyncco, auritior Midâ vel Sileni a fello, sagaciore naso quam Plauti illa anus merobibula fuisse oportet; si vis ista audiendi, odoran-

A di, cernendi & discernendi spirituales substantias, ei à natura concessa fuerat. Sed ille fortassis ex corpore aëreo tenuiore animas formabat, qui multorum error olim fuit, & vti nam non hodie. Nec etiam credibile est; quod Cæsarius, recentior illo antiquo & vnò ex partibus, in suis Dialogis, non semel asseruit: anima figuram esse similem vasi spherico, vitreo, vndique oculato, & alibi: anima est substantia spiritalis, & in sui natura spherica, ad similitudinem globi lunari ex omni parte videt.]

B Incredibile inquam hoc, si proprie loquitur: arbitrò esse locutiones allegoricas & metaphoricæ; quibus anima essentialem perfectionem, & multiplicem cognitionem volebat indicare, vt ex eiusmet verbis apparet.

C Sed Cardanus addit errorem errorum, dum censet (homo de animæ immortalitate dubius, vt indicant omnes ferè illius libri editi: & maxime quem conscripserat, sed non ediderat, amicis autem familiarioribus aliquando ostendebat. de anima mortalitate liber) apparitiones omnes imaginarias esse, & species illarum primas imaginando tantum concipi opinatur. Quod aliquando contingere lubenter concedo, semper contingere lubentius nego. Res est paulò luculentius explicanda, est enim cognitione dignissima, & quam Diu. Thomas mirabilem esse profiteretur, & inter diuina miracula computandam.

E Visionem veteres à viso distinxerunt. Visio illis ὄραμα, quoties nos id videre, prius opinamur: quod ita postmodum euenit, vt apparuerat. Visum vero φάντασμα nominant: cū interuigilio vel in somnis, ei qui vigilare se putat, formæ aliquæ oculis sese videndas offerunt. De visione disputationem differo in

a Vide
quæ dixi
ad d. cho.
2. fol. 445.

b lib. 1. Miracul. c. 32
& lib. 4. c. 39. &
lib. 7. c. 16

c d. c. 39.
& d. cap.
6. & lib.
3. c. 78.

d. p. q. 89
1. 8. ad 2.

el. 7. Orig
c. 8. D.
Tho. t. p.
q. 11. a. 3.
ad vlt.

libros sequentes : de *viso* nunc agendum , quod Christiani *apparitionem* dicere maluerunt. *Apparitio*, teste B. Isidoro, triplex est: intellectualis , imaginaria, corporata. *Intellectualis* dicitur , quando substantiæ separatae in solam mentem, non alienam formam , sed seipsis se insinuant : quæ rarenter se offert , & imago quædam est beatifica & æternæ visionis , & à tractatione ista prorsus nunc aliena. *Imaginaria*, quæ *Spiritualis* etiam dicitur , tum vocatur: quando , non (vt Cardanus putat) spiritus illi corporei sensibus famulantes , sed ipsæmet animæ separatae formas aliquas alienas sensui nostro interno intendunt , quibus in earum cognitionem inducamur. *Corporata* dicitur visio , quando huiusmodi simulachra externo sensu excipiuntur. De his nunc *spirituali* & *corporali*, differimus , & earum neutram cum naturæ legibus pugnare contendimus. *Spiritualis* illa vigilantibus & dormientibus communis est: in eâ, *spiritus* (sic animas separatas malo vocare , quàm cum paganis *umbras* aut *simulachra*) sui potius ideas quasdam in hominis phantasia efformant, quam aliena ipsi specie occultati illam subeant ; & sic immutant , atque afficiunt internum sensum , non sua ipsi vt neque per se , sed angelorum vel dæmonum ministerio. nequeunt enim tales imagines , sine eximia quadam potestate & scientiæ præstantiâ , in hominum imaginatione, effigiari. hac potestate spiritus carent , quia nequeunt alia à se mouere , scientia quoque & peritia hac carent , quia neque cum à corpore recederent , eam habebant, nec postea didicerunt. cedo enim à quo, vel cuius ex disciplina? Opera igitur aliena, viuentium formis similia simulachra, in tabula imaginationis, in-

A corporeo penicillo, depingunt, tristiore quidem habitu ac facie illorum, qui adhuc pœnas perferunt, pullo vt plurimum & aquilo amictu: contra in veste candida, hilari & reidente vultu eos, qui à supplicij liberati ; & , vt dignoscantur , viuus quam simillima depingunt. Non ergo apparitiones imaginariæ sunt impossibiles ; & modus iste facilis est apparendi etiam viuus. Sic enim & Iudei Oniam atque Ieremiam sic Saul Samuelem iuxta nonnullos , sic Constantinus Petrum & Paulum recognouit. *f* Prohemus idem de *corporea* visa solis vigilantibus obijciuntur. & in ijs ; spiritus assumunt corpora , & assumptis vtuntur. quod facere posse , & quo faciant modo sequenti quæstione ostendemus , nunc supponimus ; siue theologos consulas , siue Philosophos Christianos, certum iam & definitum videri à substantijs seuunctis visibilia assumi corpora ; in ijs ergo assumptis, quid mirum si à viuentibus conspiciuntur: siue illud ex elementis formatum sit, siue alienum sit cadauer, vtrumque visibile est.

Sed instabit aliquis ; an ergo asserit spiritus (de dæmonibus res certa) humanos etiam cadauera subire? Quoad damnatorum animas, nihil video cur non æquè atque dæmones : non enim subeunt vt informant, sed vt loco tantum moueant. Beatas animas aliena corpora non subire, omnino crediderim. neque enim illas decet sua nonnunquam, sunt qui asserant subire. naturæ legibus id non repugnare concedo. fieri & decere , viris g pijs & doctis asserentibus, vt non repugno pertinaciter , non etiam audacter assentior. Nam honestum non videtur, nec decens sanctas illas, & iam gloriosas, animas, corporum suorum diffluentium

& tabi-

f. Mach
15.1. Reg
28. Syno
7. act. 1.

g Soro in
4. d. 43. q.
2. a. 1. que
sequitur.
Titæ de
appar.
spirit.
Hæc illius
in Mat.

c. 17. & ibi.
Maldona.
& fufili
m. Franc.
Suarez in
3. pa. in 9.
45. difcour.
31. fect. 2.
Pelcan. de
purg. c. 5.

h. Strab. in
c. 9. Luc
& D. Th.
in c. 17.
Match. &
3. p. q. 35.
3. Abuléf.
Lycan. &
alij volu-
erunt.

& tabidorum, ante refurrectionem, angustias iterum subire: cum id fit minime neceffarium, & queant elementari fupplere corpore. Volunt Thaboris in cacumine fic apparuisse, cum Christo Domino, legiserum Moysen. Mihi non improbable videtur, non in proprio, sed in aëreo; & eam ad rem efformato corpore, Moysen comparuisse, vt Strabus & Beatus Thomas voluerunt: *h. Et poterit adhuc dici vera apparitio, in qua vera Moysis anima apparuit, & Moyses vere dicitur apparuisse, à parte enim potiore facienda denominatio est: & Diuus Augustinus lib. de cura pro mortuis subindicat, hanc se apparitionem Moysis haud dissimilem putasse ab apparitione Samuelis, in qua nemo dicit Samuelem, in suo corpore proprio apparuisse. Argumenta quoque omnia, quæ contra Diuum Thomam adferuntur, non valde stringunt, vt nec Patrum auctoritates, in quibus refurrectionis vocabulum, vt late sumptum, posset accipi de eo, qui in corpore assumpto similis est resurgenti, in quam sententiam Iansen. concord. c. 67. inclinauit. Sed quia reuera D. Hieronymus, Epiphanius & alij plerique patrum habes eorum verba apud Suarum) pro vera refurrectione faciunt, non traham funem contentiosum. Dico potius veras refurrectiones, ad rem de qua differitur, nihil pertinere: nos enim de mortuorum loquimur apparitione, illa Moysis tamen non magis futura mortui apparitio, quam Eliæ. æque enim tum viuens fuisset Moses, atque Elias. Quod vero quidam in vinclo Parabata, vbi Moysen inducit dæmoni quærenti. Huc vnde Moysè? Sic respondentem.*

--Nempe summo ab athere

Vbi cum Enocho raptus & vate Elia

A *Felix, Dei nouissimum expecto diem.*
Id causè intelligendum. Nam si vult Moysen raptum viuentem cum Enoch & Elia, qui nondum mortui: certe hoc temerarium est, & sacræ Scripturæ contrarium. Si cum Elia & Enoch venturum tempore nouissimo, idæque temerarium. Si in summum nempe empyreum cælum translatos Enoch, & Eliam, hoc planè nouum & inauditum, vt ante obitum quis sit gloriæ illius particeps, hoc est beatus; idem comprehensor, & viator. Sed longè periculiosius adhuc, quod in eodem opere, Michaël, & Angeli boni; Luciferi penam deplorant, & Deum etiam crudelitatis accusant. Tanti videlicet erat Prometheus Æschyli in Luciferum, & Nereides in Angelos bonos transformare. Hoc etiam audendi Poëtæ illi potestas fuit. Sed ad rem quod de Moysè dixi; idem respondendum de ijs, qui resurgentes cum Domino apparuerunt resurgente. nam & isti ad vitam reuerterant, & fortassis secuti ascendentem Dominum in cælum amplius mortem non experti, si tamen in proprio apparuerunt corpore illud. informantes, vt est verò simillimum. Negamus itaque spiritus sua assumere corpora, vt in ijs appareant duntaxat; non vt informant & viuificent; tum enim non redeunt, vt sint tales quales cernuntur; sed vt hisce, velut notis, se præbeant agnoscendos, cui rei satis est idoneum corpus effictum.

B

C

D

E
Elementaria hæc corpora non ipsæ animæ sibi componunt, sed Angeli ipsis illa vel dæmones fabricantur. nec enim animæ separatæ queunt in hoc agere, vt necesse. nam hoc motu locali faciendum foret, anima verò separata non potest vi propria alia à se mouere, ex veriore sententia. a caret enim

a Sor. sup.
& Suar.
sup. &
Pelcan.
supr.

organis corporeis, quæ illi ad mouendum corpus erant necessaria, quando erat in corpore. Hinc instare quis poterit interrogando. Si in elementare corpus nequit agere; quò in illo pacto poterit apparere, aut illud subire? *Respondet* animas corpora hæc non arbitrato suo, sed Dei subire voluntate atque imperio. quare quando hoc fit, tunc Deus illis largitur qualitatem aliquam, quæ defectum suppleat; quod quoad animas beatas apertius puto, propter visionem Dei multa illis largentem dona; & eorum desiderijs abunde atque per omnia satisficientem. aliter autem à spiritibus (etiam dæmonibus.) corpora mouentur, aliter ab anima corpus informante. Hominis motus est organicus, nam homines à naturali appetitu sollicitati, per qualitatem quandam neruis infixam membra mouent (ad quorum motum etiam nerui mouentur) non simul omnia membra, sed aliud post aliud. Sed animus corpore solutus appetentiam quidem retinet, sed organis corporeis destituitur: ideo corpus, cui se coniunxit, non membratim, neque per partes impellit, sicuti suum dum viuerebat; sed integram simul eius molem protrudit, licet præstigijs quibusdam fieri queat, vt organice mouere videatur. Sic ergo subit, sic mouet corpus assumptum, & sic firma manet secunda nostræ conclusionis probatio, consentaneam esse Philosophiæ illi, quam naturalem vocamus. Idem de Morali probabit sequens ratiocinatio.

SECTIO III.



ERTIO probatur conclusio, quia decet & utile est hoc Deum aliquando permittere. Etenim si quod ad

A multorum demanat vtilitatem, si quod Dei honorem promouet, id fieri expedit, id decet Deum permittere: huiusmodi esse, de quo agitur, necesse est aduersarij fateantur. Nam non difficulter euncerem hæc visa, & commodi multum adferre nobis, & ad gloriæ diuinæ extrariam magnitudinem aliquid adiungere accessions. Cedunt in animarum, quæ Deo gratæ decesserunt, vtilitatem hæc apparitiones: quia si in corpore proprio apparent; dixi quid sentiam: sed si tamen in exuuijs apparent suis, gratissimum id illis iucundissimumque fuerit: nam inest animabus ad sua corpora, quasi ad domicilium suum insitus quidam ab incunabulis amor, à quibus vi abstractæ fuerunt, ad quæ sponte redeunt; vnde & Philostratus inuitas scribit separari, & Plato *φιλοζωμιάτης* vocat, & D. Paulus *b* dixit nos *exspoliari* nolite, sed malle *superuicari*, vt molestam cunctis animæ à corpore separationem ostenderet, sicuti Theophylactus interpretatur: quem amorem separatione non minui, sed coniunctionis pristinæ, & redintegrandæ vnionis appetitionem Theologi volunt manere. Sin autem alieno in corpore conspicuas se præbeant, nõ exiguum percipiunt voluptatem, ex negotiorum nostrorum vtili gestione, & rerum procuracione, quæ ad diuinum spectant honorem: interim suam quoque causam agunt, non illæ modò quæ subsidij & opis indigæ, quod etiamnum expientur, & à viuis eleëmolyas, suffragia, ieiunia, missarum sacrificia impetrant, quibus diuinæ iustitiæ faciant satis, & pœnarum diminutionem obtineant; sed & ipsi beati, cœlestis Hierosolymæ albo adscripti ciues; quos interdum Deus sese iubet ostendere, vt corporibus eorum debitos honores exhibeamus, quæ Spiritus

b2. Cor. v. 5.

Sancti